

variæ causæ a variis assignantur, velut quod ædificia non sine incommodo domini fundi possint destrui; adeoque ad dominum fundi pertineant, cujus veluti pars censentur; hoc vero, quod leges de ædificiis speciali ex causa ordinarunt, ad alia facile separabilia, ut statuas et similia extendi non debet.

Dices 2º. Labor, quem possessor malæ fidei in fundo alieno excolendo posuit, est injustus; ergo dominus, spectato jure naturali, et ante sententiam non tenetur compensare.

R. D. Ant. Est injustus, domino tamen utilis *C. inutilis N.* Possessor malæ fidei ad plus non tenetur ex natura justitiæ, quam ut dominum servet indemnem; ergo si dominus quid plus accipiat, quam ipsi debeatur, æque et ille, spectata præcise justitia, tenetur restituere; atqui plus acciperet, quam ipsi deberetur.

Dices 3º. Igitur etiam solvendus esset operarius, qui, domino vel invito, vel inscio, ingrederetur vineam, et excoleret.

R. N. illat. quia talis nec ex voluntate domini præsumpta quidem laboraret in ejus vinea; dominus enim, cum sit in possessione rei suæ, pro suo libitu operarios constituit; at vero talis possessor laborat ex voluntate domini præsumptivè saltem; quia cum dominus non sit in possessione rei suæ, ac propterea in his circumstantiis non possit, quos velit, constituere operarios, præsumitur saltem velle, a quocumque tandem utiliter coli, sicut ipse coleret, si haberet.

Dices 4º. Si possessor malæ fidei posset illas expensas tollere; ergo adhuc posset ditescere ex alieno.

R. N. seq. Nam possessor malæ fidei deducit solum, quod impendit de suo; hoc vero non est ditescere ex alieno; sed rem ad æqualitatem deducere, quod solum a justitia commutativa spectatur.

DISSERTATIO III.

DE DIVERSITATE DOMINIORUM ET JURIORUM JUXTA DIVERSITATEM PERSONARUM ET STATUS HOMINIS.

Summa, id est *prima* ac *principalis* (ait Imperator, *Inst. de jure personarum*), *divisio de jure personarum est, quod omnes homines aut liberi sunt, aut servi.* Tum *secundo*, in eos divisionem facit, qui sui, vel alieni juris sunt, *Inst. h. l.* Alieni vero juris dicuntur, qui in potestate aliorum sunt, vel dominorum, ut servi; vel in potestate patriæ, ut liberi non emancipati. *Tertio* demum eos, qui in potestate non sunt, in illos dividit, qui vel sub tutela sunt, ut pupilli; vel sub curatela, ut minores; vel qui neutro horum jure tenentur, *Inst. de Tutet.* At paulo aliter Theologi apposite ad suum forum divisionem personarum coordinant. Homines liberos, sensu juris tales, subdividunt in clericos et laicos: clericos rursus in seculares, et regulares: laicos vero in conjuges; filiosfamilias; existentes sub tutela, ut pupillos; vel curatela, ut minores. Præterea Theologi res vel bona hominis generatim dividunt in *intrinsicam* et *extrinsicam*. Per *intrinsicam* ea veniunt, quibus homo *intrinsicè* constituitur et perficitur, ut corpus, anima, membra, sanitas, actus intellectus et voluntatis liberæ. *Extrinsicam* rursus duplicia sunt: *non pure talia*, quæ homini ab extrinseco insunt, mensura tamen eorum existente intra ipsum hominem, ut fama. *Pure talia*, quæ, homine nihil mutato, augeri possunt et minui, ut cætera fortunæ bona, sive corporalia, ut prædia, pecuniæ, servi; sive incorporalia, ut sunt varia jura, quæ rebus corporalibus sæpe inhaerent. At priora duo, quid homini juris in vitam, membra, famam, etc. competat, Theologia. Moralitatis ex industria examinat; unde de posterioribus solum, secundum initam cum Theologis divisionem nobis Dissertatio remanet.

CAPUT I.

DE DOMINIO CLERICORUM.

Post pauperes de Lugduno, sive Waldenses, a Waldone Lugdunensi civi sic appellatos, contententes anno 1160. clericos, sacerdotes præsertim; sola contentos elemosyna vivere debere; atque idcirco defecisse sub Sylvestro Romanam Ecclesiam, quod eo tempore possessiones bonorum administravit, WICLEFFUS assererat anno 1378. id jure divino prohiberi clericis sin-

gulis, ac damnatos idcirco esse AUGUSTINUM, BENEDICTUM, BERNARDUM, nisi ante mortem pœnitentiam egerint. Cujus vestigia tenuerunt CALVINUS, LUTHERUS et horum sectarii, criminantes, juri divino adversari, in Pontifice, Episcopis, Prælatiſ Eccleſiæ conjungi ſimul ſpiritualem et temporalem gladium. At contra hos, ultimos præſertim, jam egimus *Dissert. præc. de Feudo*. Agemus igitur hic 1°. de dominio cleri ſecularis: 2°. regularis, ſive Religioſorum.

ARTICULUS II.

AN ET QUORUM BONORUM DOMINIO GAUDEANT CLERICI SECULARES?

216. *Nota I.* Pro variis Eccleſiæ epochis et ſtatibus variam fuiſſe bonorum in Eccleſia ſortem. 1°. Nascente Eccleſia bona omnia inter fideles, tam laicos quam clericos, erant communia, ac cuilibet ex communi maſſa dabatur, quantum poſcebat neceſſitas, *Act. Apoſt. c. 15.* 2°. Aucto fidelium numero, cum prior vivendi ratio teneri ultra commode non poſſet, laicis permiſſum eſt, ut proprias haberent poſſeſſiones, non tamen clericis; ſed hi vitam communem retinentes, quin cuiquam habere quid proprii liceret, fidelium alebantur oblationibus. 3°. Poſtea ipſius adhuc S. AUGUSTINI ævo, ut conſtat ex ejus *ſerm. 2. de comm. vita Clericor.* relato *Can. 18. Cauſ. 12. Q. 1.* cum non omnes æque ea vita afficerentur, nec ſinguli paupertatem vovere vellent, permiſſum etiam clericis extra communem poſſidere bona propria patrimonialia, ſic tamen, ut hi nihil perciperent ex clericorum communi maſſa, *Can. 25. Cauſ. 12. Q. 1. et Can. 68. Cauſ. 16. Q. 1.* ubi circa finem §. 2. *Clericos autem illos convenit Eccleſiæ ſtipendiis ſuſtentari, quibus parentum et propinquorum nulla ſuffragantur.* 4°. SIMPLICIUS Papa deinde, qui ab anno 467. ad annum 483. Eccleſiæ præfuit, circa annum Chriſti 470. ſingulos redditus annuos diviſit in quatuor partes; primam assignans Episcopo; ſecundam clericis; tertiam pro Eccleſiæ fabrica; quartam pauperibus, *Can. 28. 29. 30. Cauſ. 12. Q. 2.* ſic quidem, ut SIMPLICIUS partem clericorum vellet inter illos *pro ſingulorum meritis dividi*, *Can. 28. cit.* remanente tamen penes Episcopos bona adminiſtrandi, et redditus diſtribuendi officio. At illa SIMPLICII diſviſio nec univerſalis fuit, nec ubique data executioni.

217. *Nota II.* Bona poſt erectionem Beneficiorum, reſpectu clericorum, varie dividi: 1°. Alia ſunt *patrimonialia*, quæ clericis ſine reſpectu ad eorum Beneficium, vel miniſterium obveniunt, puta, ex hæreditate, donatione, arte, contractu, industria, ſimilive acquirendi modo communi laicis. 2°. Alia *quasi-patrimonialia*, quæ clericis dantur ut merces laboris, vel ut ſtipendium pro labore impenſo cauſa et gratia fidelium, ut intuitu concionis, miſſæ, funeralium, cantus. Huc refer 1. omnia jura ſtolæ, quæ percipit Parochus ex adminiſtratione ſacramentorum: 2. Diſtributiones quotidianas pro præſentia in choro: 3. Redditiſ capellaniæ, vel alterius Beneficii ſimplicis ſub onere e. g. ſingulis ſeptimanis legendi certum miſſarum numerum, ſi talis capellania ſit ad nutum revocabiliſ, vel amovibiliſ, quia hæc non confertur per collationem canonicam, adeoque nec ſortitur

rationem Beneficii: 3. *Beneficialia*, ſuntque annui redditus, quos clerici percipiunt titulo Beneficii Eccleſiaſtici, ut parochi, canonici; vel dignitatiſ in Eccleſia, ut Decani, etc., ex Eccleſiæ, cui ſerviunt, bonorum fructibus: 4. *Eccleſiaſtica ſimpliciter et pure talia*, ſive reſ ad ipſam pertinentes Eccleſiam, tam mobiles, ut vaſa ſacra, paramenta, pecuniæ, etc., quam immobiles, ut agri, prædia, domus.

218. *Nota III.* Beneficialia ſubdividuntur in neceſſaria et ſuperflua. *Necesſaria*, quæ ad congruam et decentem clerici ſuſtentationem requiruntur: *ſuperflua*, quæ ad illam redundant. Hæc vero ut plenius intelligantur, obſervandum porro, per *congruam* ſcilicet ſuſtentationem accipi omne illud, quod perſona clerici ad decentem ſuſtentationem, non ſui tantum, ſed et familiæ domesticæ, ad exhibendam hoſpitalitatem, recreationes, donationes moderatas, ſervanda ſarta tecta, reponendum pro caſibus aut neceſſitatibus, quæ probabiliter prævidentur futuræ, ſterilitatiſ, ſenii, etc. Porro quantitas congrua 1°. non eſt abſoluta, ſive eadem reſpectu omnium, ſed reſpectiva ac inæqualiſ juxta dignitatem, merita, labores clericorum; plus enim pro portione congrua exigit Episcopus, Decanus, quam Canonicus; Parochus, quam Sacellanus; Doctor Theologiæ et Jurium, quam Philoſophiæ Magiſter; ipſo ſuffragante jure *c. 28. de Præbend. in 6. c. 28. Cauſ. 12. q. 2.* item Apoſtolo *1. ad Tim. 5. 17. 2°.* Nec conſiſtit in indiviſibili, ſed imitatur naturam pretii mercium, ac ſicut hoc aliud eſt infimum, medium, ſummum, juſtum tamen, ſic congrua clericorum; ut proinde, qui ſummam adhibere poſſet, ſi infima eſſe contentus velit, quod hac ratione reſervat, bonis paſimonialibus, vel quaſi-patrimonialibus accenſere poſſit.

Non quæritur autem hic de bonis ſtrictè ac ſimpliciter Eccleſiaſticiſ; certum enim eſt horum dominium non habere clericos, ſed adminiſtrationem ſolum, dominio exiſtente penes Eccleſiam ipſam, ut perſonam fictam. Sed æque certum eſt, clericos eſſe plenos dominos bonorum patrimonialium, ut de hiſ pro libitu poſſint diſponere æque, ac non clericis; cum horum dominio in ordinatione ſua neque renunciarint ipſi, neque ad id abdicandum eos cogat vel ordo clericaliſ, vel juſ. Rurſus facile inter Doctores convenit, clericos vere dominos eſſe quaſi-patrimonialium et portioniſ congruæ, cum illa dentur clericis ut ſtipendium ſuſtentationiſ, non mere gratuitum, ſed debitum ob laborem perſonalem mercediſ inſtar, adeoque eorum diſpoſitioni libera. Sed ſola eſt controverſia de boniſ beneficialibus ſuperfluiſ, an horum veri ſint domini?

219. *Dico I.* Perſonæ Eccleſiaſticae bona propria licite poſſidere poſſunt. Eſt contra auctores ſupra relatoſ.

Prob. Nam Sacerdotes et Levitæ, *Num. 35. v. 2. 3. Joſue 21.* in V. T. ipſius Dei jūſſu poſſidebant 48. urbes cum ſuburbanis ad alenda pecora per circuitum mille paſſuum: 3. *Reg. 2. 26.* Abiathar ſacerdos prædium habuit: *vade in Anathoth ad agrum tuum.* Præterea accipiebant decimas omnium frugum et pecudum, aliasque oblationes populi. Cur non igitur poſſidere poterunt clericis bona propria in T. N.? Quin

Conf. Ex hoc ipſo; nam *1. ad Tim. 3.* jubet Apoſtolus Episcopum, ut

hospitalitatem exercent, et domum suam bene regat; at quomodo hæc præstaret, si nihil proprii haberet?

220. *Si dicas* 1°. Sacerdotes et Levitæ solum habebant urbium illarum usum, non vero dominium; vel si quod habuere, tantum fuit dominium utile; nam Hebron urbs erat data Sacerdotibus, *Jos. 21.* et tamen dominus ejus dicitur Caleb de tribu Juda, *Jos. 14. 14.* Imo *Jos. 13. 33.* dicitur: *Tribui autem Levi non dedit possessionem; quoniam Dominus Deus Israel ipse est possessio ejus;* ergo.

R. *N. Ant.* Nam *Levit. 25.* civitates et suburbana clare dicuntur possessiones Levitarum.

Ad prob. 1^{am}. R. Hebron vere pertinebat ad Sacerdotes, ut rursus clare asseritur *Jos. 21. 10.* *Dedit Josue civitates..... filiis Aaron per familias Caath..... Cariatharbe patris Enac, quæ vocatur Hebron, in monte Juda, et suburbana ejus per circuitum; agros vero et villas ejus dedit Caleb filio Jephone ad possidendum;* unde Caleb dicitur dominus ob agros tantum et villas in territorio urbis Hebron.

Ad prob. 2^{am}. R. *N. Cons.* Nam sensus est, quod Deus in divisione terræ non dedit tribui Levi partem a reliquis tribubus separatam; eo quod Patriarcha Jacob filium Levi ob delictum exheredasset; cujus tamen posteris alio modo providit Deus, eos assumendo in Sacerdotes ac Levitas, dando iis decimas fructuum omnium, et civitates 48. per singulas tribus dispersas.

Si dicas 2°. Sed Christus in T. N. clericis prohibuit propria possidere, *Luc. 14. 33.* *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* *Math. 10. 9.* *Nolite possidere aurum, etc.*

R. *N. Ant.* Prior textus non clericos solos, sed omnes christianos attinet, cum quilibet Christi discipulus sit; ergo omnes se deberent abdicare rebus omnibus. Unde intelligi debet de deponendo immoderato ac inordinato temporalium affectu, in quem sensum accipitur a S. Augustino *epist. 5.* ad Marcellinum. Alter Apostolos concernit, quos ante passionem Christus mittebat ad prædicandum Judæis, ut sic illos jam tum assuefaceret ad confidendum in virtute divina, et futuro præpararet Apostolatui. Voluit etiam Christus, Apostolos in paupertate Evangelica proximos sui esse imitatores, ut tanto efficacius persuaderent Christi Religionem gentibus; sed hoc, quod Apostolis specialiter dictum, non transit in legem pro cæteris. Vid. in Diss. præc. de Feudo plura etiam huc pertinentia.

Si dicas 3°. In collatione primæ tonsuræ tonsurandus se abdicat rebus temporalibus, dum inquit: *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei; tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi.* Unde et S. Hieronymus ep. ad Nepotianum, *qui Dominum,* inquit, *possidet, et cum Propheta dicit, pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere potest; quod si quidquam aliud habuerit præter Dominum, Dominus non erit pars ejus.*

R. *N. Ant.* Sed iis verbis solum declarat, quod se divino cultui et servitio specialiter dicare velit, depositis superfluis et clericum dedecentibus seculi negotiis et curis. Unde Concilium Aquisgranense ea verba de paupertate spiritus exponit. S. Hieronymus vero de iis loquitur, qui ejus adhuc ætate votum paupertatis emittebant. Alias enim ejus ævo jam etiam clericos patri-

monialia possedissee, constat ex *Can. 18. Caus. 12. Q. 1.* qui est S. Augustini, Hieronymo coævi.

221. *Dico II.* Clerici seculares reddituum beneficalium plenum habent dominium. Ita contra Theologos et Canonistas antiquos plurimos, et paucos recentiores hodie Theologi et Canonistæ communiter cum S. Th. 2. 2. Q. 185. a. 7. in 0. et Opusc. 6. a. 12. qui simul testatur huic sententiæ favere consuetudinem; uti pariter Covarr. in *c. cum in officiis. de Testam. n. 3.* asserens, hanc sententiam esse admittendam ex totius christiani orbis consuetudine; cui certe, si corruptela esset, occurrerent summi Pontifices; tenetur enim princeps prohibere, quæ repugnant justitiæ, et communiter practicantur.

Prob. I. Ex Concilio Tridentino *Sess. XXIII. Cap. 1.* ubi statuit, eos, qui curatum beneficium obtinent, si absque justa causa et licentia legitimi superioris ab Ecclesia sua ultra tres menses abfuerint, *pro rata temporis absentia fructus non facere suos.* Deinde *Sess. XXIV. de Reform. Cap. 12.* idem decernit de beneficiatis quibuslibet, qui intra duos menses a die adeptæ possessionis non emittunt professionem fidei, ut *fructus non faciant suos.* Ac demum *Sess. ead. et cap. eod.* pœnam in non residentes curatos latam extendit ad omnes, qui in Cathedralibus Ecclesiis, aut Collegiatis obtinent canonicatus, præbendas, aut portiones, ut prima vice non residents *privetur dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ ac residentie fecit suos; quod si iterum eadem usus fuerit negligentia, privetur omnibus fructibus quos eodem anno lucratus fuerit.* Ex quo tale ducitur argumentum: Beneficiati Curati non residentes, item non emittentes professionem fidei non faciunt fructus suos: Canonici vero non residentes etiam privantur fructibus, quos ratione residentie fecerunt suos, et lucrati sunt; ergo a contrario Curati et Beneficiati alii emittentes professionem fidei et residentes faciunt fructus suos, eosque lucrantur, non tantum necessarios, sed etiam *superfluos*; 1°. quia Tridentinum non tantum necessariis eos in pœnam privat, sed etiam superfluis, cum tales velit privari fructibus *omnibus*; et vero ridiculum esset, si necessariis tantum, non etiam superfluis privare vellet; ergo hoc ipso supponit, quod etiam superfluis *lucrati* fuerint, id est, ex vi hujus vocis, acquisierint dominium; si enim non acquisivissent dominium, privando eos his fructibus nullam pœnam infligeret. 2°. Quia loquitur de fructibus sine ulla exceptione, indistincte.

Respondent Adversarii 1°. ex Conc. Tridentino nihil posse concludi, eo quod nihil statuere voluerit circa quæstiones controversas inter Doctores Catholicos, ac minime præsumi possit, quod in præsentia controversia, quid statuere, aut declarare voluerit, cum tempore Tridentini a multis Theologis negaretur clericis honorum beneficalium dominium. Vel 2°. etiamsi Tridentinum dicatur locis citatis supponere aliquod dominium in clericis in bona beneficalia superflua, unde constat, quod hoc dominium sit proprietatis, et non potius utile, quale etiam subinde in jure meris administratoribus competit? Demum 3°. argumentatio facta a contrario manca est; hæc enim propositio: clericis absentes non faciunt fructus suos, ex parte prædicati est universalis, hunc faciens sensum; absentes nec fructus necessarios,